
H. Nicolai

de fine bonorum ex P. I.
recte constituendo.


Hafn., 1811.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 01006 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 1006




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 01006 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 1006

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 01006 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 1006



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 01006 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 1006



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 01006 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 1006



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 01006 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 1006

Z.-115.-4

DET KONGELIGE BIBLIOTEK
DA 1.-2.S 1 4°
1 1 01 0 4 01006 X

+REX

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 01006 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 1006

1611.

DISPVTATIO
De
FINE BONORUM EX PSALMO PRIMO RECTE CONSTITVendo, per comparationem cum eo, qvi à philoſophis eſt definitus.

Quam

D. O. M. A.

Ad diem 30. Novemb. publicè proponet.

HERMANNVS NICOLAVS:

Reſpondente

TORVERO FINNONIS ISLANDO.

1023

Andreas Hegelund
Rp. 1620.

HAFNIÆ

Typis Henrici VValdkirchii.

M. DC. XI.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 01006 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 1006

THESIS I.

HOMO, CREATVRA DEI NOBILISSIma, ac Deus velut terrenus, naturâ ſuâ ad perfectionem aſpirans, & pleno qvaſi gradu tendens; finem ſibi propoſitum habet, ad quem actiones ſuas dirigit. Omnis enim actio à natura, arte, doctrina vel electione proficiſcens intenditur, ut agens bonum quoddam conſequatur, cui ut fini acquieſcat, & in quo agere deſinat.

II. Itaq; finis & bonum convertuntur ſubiectoq; conveniunt, ſola ratione differunt. Etenim unus idemq; ſcopus actionis, Bonum dicitur ratione appetitus: Finis vero per comparationem ad motum & operationem, quam terminat. Et, cum boni cauſa cuncta fiant, cuius autem cauſa aliquid fit, id finis rectè dicatur; ſequitur heic nil aliud eſſe bonum, quam finem.

III. Finis iſte non unus eſt, ſed multiplex ac diverſus. Nam quia diverſa ſunt agentia, quorum ſingula ſuos habent fines: ideo in rebus plures quoq; ac diverſos fines eſſe, neceſſe eſt. Horum alii ſunt ἐνέργειαι, qui in ſola operatione quieſcunt ac terminantur; ut contemplatio, meditatio, deambulatio: alii ἔργα, qui ex operatione ſunt effecta, ut domus & navis.

IV. Deinde fines alii ſunt ultimi, quod inſtar architecti actionem gubernent: alii intermedii & ſubalterni, per quos ad vltimum pervenitur. Omnium vero alii præſtantiores aliis. Etenim τὰ ἔργα ſunt præſtantiora ipſis operationibus (quæ propter opera ſuſcipiuntur.) Ac ultimi fines intermediis ſunt præferendi, cùm illi propter ſe, hi autem propter illos expetantur.

V. Etſi autem pro diverſitate agentium & intentionum, multi conſtituuntur finium gradus & differentiæ; tamen unicus tantum eſt rerum agendarum finis ſummus, bonum ultimum, optimum, perfectiſſimum, ſemper propter ſe, nunquam ob aliud expetendum: quod propterea græcis dicitur αὐτοτελὲς, πάντων ἀκρότατον, τῶν πρακτῶν ἀγαθὸν, &c. Latinis finis bonorum, beatitudo & ſummum bonum.

VI. Quærimus, inquit Cic. lib. 1. de finib. quid ſit extremum, quid ultimum bonum; quod omnium ſententia tale eſſe debet, ut ad illud omnia, ipſum vero nuſquam referri debeat. Ac niſi ta-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 01006 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 1006

lis finis daretur, in quo appetitus tanquam ultimo & ſummo bono acquieſceret; fieret, ut ſemper aliud ex alio expetendo, in infinitum progrederetur, irrituſq; & inanis appetitus redderetur, cum nihil haberet, in quo conſiſteret; atq; ita homini fruſtra datus videretur, quod eſt abſurdú Nam ut habet vulgo decantatum illud: ὁ θέος καὶ ἡ φύσις οὐδὲν μάτην ποιεῖ.

VII. Non igitur obſtat finium diſcrepantia, quo minus in hac eorundem ſubordinatione, is qui ultimò expetitur, & ob quem obtinendum inferiores omnes expetuntur, præſtantiſſimus ſit; exoptatiſſimus, ultimus & ſummus; in quo omnes tandem conſiſtant & terminentur: qui non propter alium, ſed ſe ipſo ſit bonus; & ad quem alii omnes referantur, ipſe verò ad nullum, ut Plotini verbis utar.

VIII. Ex his liquet, & bonum, & melius, & ſummum ſive optimum dari. quibus prælibatis, ope immenſi boni, ſine quo nil boni de eo dicere valemus; nunc ad propoſitam de ſummo fine diſputationem nos accingamus. Quam bifariam ſic partiemur, ut pars prior ſummorum mundi ſapientum de ſummo bono decreta perſtringat; reliqua pſalmi primi Davidici ſeententiam mundanæ ſapientiæ oppoſitam, eiuſq; analyſin & partium œconomiam expediat.

IX. Summum bonum ob varias conditiones diſtinctaſq; relationes ejus, variis prçſertim à græcis deſignatum eſt nominibus. quæ quamvis frequenter confundantur, habent tamen ſignificationes proprias & diſtinctas. Commune nomen eſt τὸ ἀγαθὸν, vel αὐτοαγαθὸν, cuius ratio ex ſe ipſa eſt conſpicua. Nomine verò magis proprio dicitur εὐδαιμονία, quòd viri felices optimo Dæmone duci regiq; vulgò credantur. Tertium nomen eſt μακαρισμὸς, quod priſci ἀπὸ τοῦ μάλιστα χαίρειν deduxiſſe videntur.

X. Reliqua ſunt nomina εὐτυχία καὶ εὐπραξία, à proſpera fortuna & proba actione, tanquam à ſuis fontibus derivata. Vel, quia nonnulli in abundantia bonorum fortunæ finem bonorum collocarunt: Vel ſaltem ex ſententia Ariſtotelis, qui ea inſtrumenta eſſe ſtatuit, ſine quibus homo felix & beatus eſſe non poſſit Beatitudo autem manifeſtà formà cadit à verbo, quo comicus utitur: Ecquid beo te.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 01006 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 1006

XI. His nominibus tanqvam potioribus avthores vti conſve-verunt, de re ipſa longè maxima varietate inter ſe diſſidentes. Cum enim beatitudo tanqvam regina in ſua ſede ſplendidiſſima fulgens, mortalem omnem conditionem deſpiciat: fit, ut per anguſtè & obſcurè admodum in mortalibus conſpiciatur, hominibuſq; eam perqvirentib. multiformẽ ſeſe exhibeat. Omnes tamẽ in eo conſenſerũt, ut ſummũ bonũ ſit, qvod propter ſe expetitur.

XII. Apparet qvod dico, ex diverſis hominum de ſummo bono Definitionibus, qvibus non modo ſapientes à vulgaribus; verumetiam ſapientes à ſapientibus ita diſcrepantes deprahenduntur: ut Cic. in libris de finib. affirmet, de nulla qvæſtione majorem inter ſummos viros diſſenſionem fuiſſe, quàm de ea, qva qværitur: qvænam res ſit ſummum hominis bonum. Et Avguſtinus de civit Dei ſcribit varronem annotaſſe, ſuo tempore fuiſſe circitèr ducentas octoginta octo philoſophorum de ſummo bono opiniones.

XIII. Cavſa tantæ exorbitationis à vero fuit, qvòd philoſophia qvæ tota eſt naturæ corruptæ; etſi fundamento non pugnet cum lege Dei; tamen præter id, qvòd Evangelium ignoret, etiam legis præcipuas partes omittit. qvas avtem retinet de diſciplina morum & officiis externis, imperfectè & obſcurè proponit, adeòq; cavſam erroris, ignorantiæ & malorum non intelligit.

XIV. Interim cum vera philoſophia ita ſit particula legis divinæ; ſeqvitur finem hominis eundem eſſe ſecundum legem & philoſophiam. Sed finis ultimus ſecundum legem, eſt Deum creatorem agnoſcere, agnitum celebrare & diligere, ejuſquè legem meditari.

XV. Hic finis præclariſſimis virtutum ornamentis in natura viguiſſet, Si homo in primæva integritate perſtitiſſet, & non penè extincta fuiſſet lux illa, cujus qvaſi radii & igniculi ſunt principia illa, ex qvibus extructa eſt philoſophia. Verum poſtqvam per prçvaricationem vitiata eſt natura, manet qvidem certe finis, ad qvem homo eſt conditus: At notitia ejus in tantum obſcurata eſſe cæpit, ut etſi homo ex naturæ luce & creatis viſibilibus agnoſcat Deum eſſe omnium conditorem, finemq; ſummum aliqvem ſibi propoſitum; tamen aſſeqvendi finis rationem ex ſe ipſo planè ignoret.

XVI. Hinc

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 01006 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 1006

XVI. Hinc tàm diverſæ hominum, de fine bonorum opiniones & diſcrepantes ſententiæ extiterunt. Quæ diverſitas avecta eſt ex diverſo vitæ genere, qvod qviſq; ſectatus eſt. Quotuſqviſque enim non judicat, id bonum eſſe, propter qvod tale vitæ genus eſt amplexus?

XVII. Enumerat avtem Ariſtoteles. 1. Eth. 5 qvatuor vitæ genera, qvæ præ cæteris dicit eſſe μάλιςα πϱοέχοντα. quorum primum appellat ἀπολαυςικὸν, eorum ſcilicet qvi ſolum ἀπολάυειν exoptant; & qvi, ut Horat. ait, ſunt tantum fruges conſumere nati.

XVIII. Sed mittamus hujus generis Avthores & ſectatores, Epicurum, Sardinapalum, & alios voluptatum & libidinum charybdes, ſuiſq; ſe finibus tenere jubeamus. qvi in conſertiſſima voluptatū omnium varietate, vitam non modo prælegerunt σωματικὴν: verumetiam præmia propoſuerunt iis, qvi novum aliqvod voluptatis genus excogitare valuerunt: qvos proinde non immerito valeas coronatos dicere porcos.

XIX. Cum enim conſtet, omnem naturam conſervationem & incolumitatem ſui expetere, id qvod non in animantibus modo, verumetiam in ſtirpibus ac truncis & penè ſaxis animadvertimus; voluptas avtem vires animi & corporis interimat: cumq; ſoli homines peculiari qvadam natura, rationis & mentis præditi ſint, ut propterea quæ ratione ac mente in homine fiunt, ſola ſecundum naturam fieri videantur: Promptè hinc colligitur, cum ſummi boni ratio initur, nullam in partem cadere voluptatis ejuſmodi quæſtionem. Hæc enim non in hominis, ſed animalis eſt natura.

XX. Alterum genus eſt πολιτικὸν ϗ πϱακτικὸν, civile & actuoſum eorum, qvi honeſtatis, lavdis & gloriæ ſtudioſi vitam magis amant ψυχικὴν, atque utiles ſe præbent ad juvandam ſocietatem communem in Reipub: negotiis adminiſtrandis: unde & χαϱίεντες, gratioſi & politi nominantur. qvorum alij, ut Periander & Alexandri milites, ſummum bonum in honore collocarunt: alii ut ſtoici in virtute, qvam honor ut præmium comitatur.

XXI. Honores qvi ambiunt, licet non adeo pervulgatum &

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 01006 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 1006

humilem finem proponunt : tamen veritatem non aſſequunt ur. Etenim honor in honorante potius eſt quàm honorato, magiſq; in illius quam hujus poteſtate reperitur. At ſummum bonum debet eſſe τὸ οἰκεῖον, proprium eius qui illud poſſidet, & propter ſe.

XXII. Sed neq; ſtoicus fecilè perſuaſerit in virtutis habitu, etiam cum maxima rerum affluentia ſummum eſſe bonum: multò minus ſapientem rotę aſſixum, aut tauro Phalaridis incluſum, nihilominus propter virtutem eſſe beatum. Nam ut rectè ait Cic. 1. off. Omnis virtutis laus in actione conſiſtit. Unde colligit Ariſtoteles, quòd ſicut in ludis Olympicis non formoſiſſimi quiq;, ſed qui ſtrenuè dimicabant, coronabantur : ita non ſolo virtutis habitu præditi; ſed qui præclara virtutum munera obeunt, ſummi boni coronâ honeſtentur.

XXIII. Hæc ita ab Ariſtotele luculenter diſputantur. 1. Nichomac. ca. 7. ubi felicitatem non in virtutis habitu, ſed eiuſdem actione conſiſtere pluribus contendit. Beatitatis autem Definitio (quam ipſe inibi duplicem adfert) prior eſt τῆς ποιότητος qualitatis. diciturque ὅρος ἐννοηματικὸς; ut, Beatitudo eſt extremum & perfectiſſimum bonum rerum agendarum. Altera τῆς οὐσίας, & vocatur ὅρος οὐσιώδης ut, Beatitudo eſt operatio Animæ rationalis, ſecundum virtutem optimam & perfectiſſimam, in vita perfecta.

XXIV. Ratio ſententiæ Ariſtotelicæ hoc fundaméto nititur, ex principiis phyſicis petito: Actio propria naturæ cuiuſq; eſt finis, & ſummum bonum eius : Actio virtutis eſt actio propria hominis: Ergo actio virtutis eſt finis hominis, & ſummum bonũ eius.

XXV. Hic finis ab Ariſtotele de monſtratus; Conſiderari poteſt ratione quadam communi, & propria. Conſideratione communi, nempe ut eſt actio ex virtute prodiens, magnifieri ſanè debet; cum in rebus humanis nil reperiatur proba actione præſtantius, aut homine dignius. Huc certè curam omnem, huc omnes animi vires dirigere atq; intendere tenemur. At ſi propria nonnulla conſiderentur, permagna ſatis eget caſtigatione atq; directione.

XXVI. Dum enim actio virtutis conſideratur, ut finis ultimus ad alium finem non ordinatus, emendari magnoperè neceſſe habet. Eatenus enim proba actio magnifacienda, quatenus alteri fini conducit ultimo ac præſtantiſſimo.

XXVII. Ter-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 01006 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 1006

XXVII Tertium genus eſt χρηματιστικὸν καὶ φιλοκερδές. At qui finem bonorum in rebus externis ponunt, minus aliis ſapere videntur. ſiquidem abſurdum, ſummum bonum in iis rebus collocare, quæ fortunæ imperio ſubiacent. Breviter, finis bonorum in externis eſſe non poteſt. Ratione poſſeſſionis, quia noſtra dici non poſſunt: Acquiſitionis, quia per injuſta media ſæpè acquiruntur: Dependentiæ, quia ad alia referuntur: Inſufficientiæ, quia appetitum explere non poſſunt.

XXVIII. Succedit poſtremum genus θεωρητικὸν eorum, qui veritatis amore flagrantes, ſe totos contemplationi tradiderunt rerum naturalium & divinarum. Hujus Authores Socrates & Plato eſſe perhibentur. qui finem bonorum in ſcientia poſuerunt, maximè in contemplatione boni per ſe, quod Plato Ideam boni nominavit.

XXIX. Hic, ſi intellexit (ut vulgariter) omnium rerũ ſingularium univerſales eſſe Ideas, formas, ſpecies, cauſas exemplares &c. ad quarum imaginem Deus hæc viſibilia effecerit; omniumq; bonorum extra Deum, unam quandam communem eſſe Ideam ſive formam eſſentialem, ſeparatam, & alicubi per ſe exiſtentem, à qua reliqua omnia bona ſuam habeant eſſentiam & notitiam (quam ſententiam Platoni affingit Ariſtoteles 1. Eth. 6. cap.) in cujus ideæ contemplatione poſita ſit hominis beatitudo: facilè probaverit Ariſtoteles talem bonorũ ideã nec dari, nec ſi daretur, ſummi boni loco haberi poſſe. At ſi rerum ideas in Deo ipſo acceperit, & ſummum bonum Deum ipſum putaverit, (quæ Platonis ſententia eſſe videtur) erroris inſimulari non debet. Eſt enim Deus opt. max. finis bonorum quem quærimus, in cujus agnitione, fruitione & nexu cum eo, vere beati & felices efficimur.

XXX. Ut ut eſt, videtur Plato inter philoſophos exeruiſſe caput, altiuſq; mentem extuliſſe cæteris: quanquã nec is veritatem eſt aſſecutus, ut cui plena & perfecta viæ ad ſummum bonum ferentis cognitio defuit, quam ſola doctrina cœleſtis demonſtrat. In multis tamen locis, Diſputationes ſuas eo adduxiſſe videtur, ut oſtendat, non eſſe in hac vita perfectam felicitatem expectandam, ſed in altera tantum. Hoc agit in Philebo, in Convivio, in Protagora, in Epinomide; hoc Socrates moriens in Phædone.

Reliqui

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 01006 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 1006

Reliqvi verò philoſophorum, qvi plus aliis ſapere viſi ſunt, erga futuram vitam cæci, in hac præſenti & caduca, perfectam felicitatem, in perfecto homine, ex uſu & actione perfectæ virtutis quæſiverunt.

XXXI: Atq; ita ex una parte ſenſu & carnis judicio ducti, ex altera viam pro fine, & curſum pro termino tenentes, in hac quæſtione acumen perdiderunt, variaq; dicere coacti ſunt: finem qværentes, nunqvam verò ad finem pervenientes. Quib. proinde convenit exprobratio Pavlina Rom. 1. φάσκοντες εἶναι σοφοὶ, ἐμωράνθησαν: Qvippè homo beatus non erit, etiamſi omnes poſſideat virtutes morales & civiles, cùm has habeamus teſtes noſtrarũ calamitatum certiſſimas. Annon Prudentiæ munus eſt, ut provideat ne decipiamur per errorem in eligendis bonis & evitandis malis? Iuſticia non alia de cauſa neceſſaria eſt, niſi ut coërceantur furta, rapinæ, violentiæ. Fortitudo homines armat, ut dolores, pericula & mortem deniq; honeſtius oppetant. Temperantia ebrietates libidineſq; diverſi generis reprimit & reſtingvit: & ſic de cæteris.

XXXII. Itaq; relictis philoſophorum turbidis lacunis, colligamus ad vivos Iſraelis fontes converſi, finem bonorum, beatitatem, & ſummum bonum, non eſſe virtutem, non actionem civilem, non cumulum bonorum, non vitam naturæ conſentaneam; Sed conformationem animi hominis cum Deo, agnitionem & celebrationem Dei, fruitionem ejus & nexum cum eo: viam avtem ad bonum illud ferentem, Chriſtum mediatorem ejuſque fidem, cum qva ſtudium pietatis, & meditatio legis Jehovæ ſint conjuncta, ut pſalmus. 1. docet. Quem proindè ut mundanæ ſapientiæ oppoſitum, promiſſi atq; inſtituti memor ſubijciam, ejus Analyſin & partium œconomiam oſtenſurus, idq; per diſtincta qvatuor cauſarum genera.

XXXIII. De cavſa efficiente hujus pſalmi primùm diverſæ occnrrunt Patrum ſententiæ. Nam qvidam pſalmos omnes Davidi Regi aſcribunt: & nomina Aſaphi, filiorum Chore, & cæterorum, non Avthorum, ſed adminiſtratotum eſſe affirmant. Contrà vero alij. Pſalterium à 10. Prophetis conſcriptum eſſe ajunt; Moſe, Davide, Salomone, Aſapho, Emon, Ethan, Idithum, & filiis chore Elcana, Eliazar, Abiazab.

XXXIV. In

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 01006 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 1006

XXXIV. In hac ſententiarum varietate, non facilè fortè fuerit diſcernere, qvid potius approbandum: præſertim cum 1 Paral 16. v. 7. ſcribatur pſalmus integer. 105. Cum hac præfatione: In illo die fecit David principem ad confitendum domino Aſaph, & fratres ejus. Ex qvibus apparet, quod Aſaph pſalmos â Davide compoſitos, tanqvam chori magiſter, melodiis exornandos acceperit. Contrà vero lib 2. Paral. 29. v. 30. ita ſcriptum legamus: Præcepit Ezechias & principes Levitis, ut laudarent Dominum ſermonibus David, & Aſaphi videntis. ubi diſertè non minus Aſaph qvam David pſalmorum author declaratur; qvandoqvidem (דִּבְרֵי) verba, ſev Poëmata pſalmorum, æqvè illi ac Davidi aſſignantur.

XXXV. Verum non neceſſe eſt, Problema hoc ſcrupuloſius perſequi: qvandoqvidem certum eſt, ſive David, ſive Aſaph, avt qviſpiam alius pſalmum qvempiam conſcripſerit, quod nihil amplius, qvam vicariam operam ſpiritui ſancto præſtiterit. Hic enim pſalmorum omnium verus Avthor eſt, qvi illos Davidi & Aſapho tanqvam amanuenſibus, inſpirando & cor eorum illuminando, intus dictavit. Petrus certè Apoſtolus. Act. 1. v. 16. cum de Judę proditoris interitu vaticinium è pſalmis 69. & 109. protulit, diſertè teſtatur ſpiritum ſanctum per os Davidis locutum eſſe.

XXXVI. Qvòd avtem pſalmus 1. ſit ἀνεπίγραφος, rationem adfert Auguſtinus, cum ait: Qvia hic pſalmus propriam vocem Dei loquentis inducit, ideo titulum non habet. ne qvid Divino eloqvio præponeretur, aut primus diceretur; qui non primus, ſed unus eſt appellatus.

XXXVII. Materia pſalmi primi eſt quæſtio de fine bonorum. qui non in mundano ſplendore, aut officiorum civilium cultu conſiſtit: ſed verbi Dei aſſidua meditatione. Is enim verè beatus eſt, qui legem Jehovæ meditatur, eamq; verſat nocturna manu verſatq; diurna. Et quidem beatus non philoſophica aut umbratili aliqua felicitate, ſed verà ac ſolidà, eaq; non una, ſed omnibus (ut ita dicam) beatitudinibus; id quod nomine multitudinis (אַשְׁרֵי) v. 1. Spiritus Dei innuere voluit. Nimirum ut oſtenderet veram beatitudinem, quæ ſecundum Deum eſt, omnia in ſe complecti.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 01006 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 1006

XXXVIII. Deſcribit autem beatitudinis eſſentiam & naturam, nó abſolutè & καθ᾽ ἀφαίρεσιν, ſicut philoſophi ſuam ἐυδαιμονιάν, ſed in concreto, h. e. viro & homine chriſtiano: nec terminis Definitionum obſcuris aut anguſtis includit eam; ſed picturis illuſtribus & imagine omnium pulcherrima, veluti vivam ab oculos ſtatuit. ait enim: & erit (האיש) ſimilis arbori fructiferæ &c.

XXXIX. Atq; ut omnia ſummatim complectatur, ſubdit: & quicquid fecerit, proſperabitur. ubi verbo (יעשה) v. 6. non modo intelligit opera hominis chriſtiani generalia, confeſſionem, dilectionem & cætera quæ inter fidei fructus recenſentur: verumetiam quæ quiſq; in ſuo vitæ genere præſtat ad Dei gloriam, & communis ſocietatis utilitatem. Pertinet igitur hæc proſperitas, non ad unum aliquod vitæ genus theoricum vel practicum: ſed ad ſingulos ſtatus & ordines in Repub. chriſtiana, quibus omnibus hic felix ſucceſſus promittitur.

XL. Forma in ipſa diſpoſitione partium & ſingulorum membrorum elucet. Thema ipſum eſt Didaſcalicum ſive docentis. Cujus partes ſunt tres, propoſitio vel Theſis; Antitheſis; & Epilogus.

XLI. Propoſitio ab ἀπόφασι, negatione incipit: Beatus, qui non facit cum vita & doctrina impiorum. Cujus ratio eſt: ut enim quis ad veram in Deo beatitudinem aſpiret, ei primum removenda ſunt obſtacula, quæ impedimento eſſe ſolent; quorum tria (ut inſigniora) hìc proponuntur: conſilium impiorum, via peccatorum, & Cathedra illuſorum. quibus verbis graphica deſcriptione notat tria genera hominum à vero aberrantium, & à ſummo fine abdcentium.

XLII. Negata propoſitio iteratur per καλάφασιν affirmati ſubiecti; Beatus eſt, qui in verbo Dei acquieſcit tanquam fine ſupremo, & in eo meditatur aſſiduè. tum illuſtratur ſimilitudine ab arbore ſumpta: Qui verbum Dei amplectitur, diſcit, meditatur. &c. ſimilis eſt arbori juxta rivos aquarũ plantatæ. Explicata ſimilitudo talis eſt: ut arbor juxta rivos aquarum plantata, fructum fert in tempore ſuo: ſic pius omnis irrigata fide, per verbum, fructus feret verbo dignos, omniaq; facta ejus felicem ſucceſſum habebunt.

XLIII. An-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 01006 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 1006

XLIII. Antitheſis brevior eſt: Non ſic impii. qvia impiorum inſtituta piorum ſtudiis planè ſunt contraria. impii enim non amant legem Dei, non illam meditantur, nec in ea ſe oblectant, ſed averſantur. Illuſtratur autem diverſa ſimilitudine à palea: Impii peccatores & illuſores, ſimiles ſunt paleis & qviſqviliis, qvas ventus diſſipat ac diſpellit. Tum politur partibus miſeriæ, vel à ſpecie pænæ:¦ impii neq; in publico miniſterio perſiſtent, neq; in Eccleſiæ congregatione perdurabunt.

XLIV. Epilogus Epiphonemate figuratur, qvo theſis & Antitheſis confirmantur, adeoq; totus pſalmus ab efficiente ſucceſſus juſtorum, & miſeria impiorum concluditur: Pii ſunt beati, Novit enim Dominus, hoc eſt; approbat ac dirigit viam eorum. Impii vero ſunt miſeri; qvia via eorum ignoratur à Deo, h. e. non protegitur, ſed perit.

XLV. Ad formam quoq; pertinet, quòd hic pſalmus non ſoluta & libera, ſed ut reliqvi omnes, ligata & numeris aſtricta oratione ſit compoſitus; id qvod Epigraphe ſingulorum oſtendit. Nam pſalmi, cantica, & hymni dicuntur, eò qvod metrico dictionis genere conditi ſint. idque etiam patet ex muſicis inſtrumentis, ad qvorum pulſationem & harmonicam modulationem, pſalmi in tabernaculo ac templo Domini decantabantur. Quod fieri non potuiſſet, niſi numeris aſtricti fuiſſent. Sed de ſacra Poëſi, juvante Deo, aliàs.

XLVI. Finis non ſolum hujus pſalmi primi, verumetiam totius ſacri Codicis eſt, ut homines de æterna illa cum Deo beatitudine, in ſolo Dei verbo qværenda, doceat atq; commonefaciat. Quæcunq; enim ſcripta ſunt, in noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam & ſcripturarum exhortationem ſpem habeamus. Rom. 15. v. 4 Ioh 10. v. 31.

XLVII. Ut igitur in omnibus ſcriptis Methodicis fieri ſolet, ita hic qvoq; ſpiritus ſanctus, à fine totius Theologiæ, qvi eſt vera beatitudo, & finis bonorum, initium facere voluit. Nempe ut hac lætiſſimi atq; exoptatiſſimi finis ſvavitate, omnes hujus vitæ labores & moleſtias temperaret, omneq; piè & honeſte vivendi tædium leniret ac depelleret.

XLVIII. Qvid eſt, qvod Agricolis totius anni labores ſi non faciles, at qvidem certè tolerabiles efficit? Copioſæ ſcilicet meſ-

ſis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 01006 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 1006

ſis expectatio. ita hic communis vitæ noſtræ moderator, magnus ille Magiſter, ſpiritus veritatis, ſummâ ſapientiâ ac methodo, à pollicitatione præmii, exordium ſumere voluit. ut obliti laborum qvi in manibus verſantur, tota Animi cogitatione, fini noſtro ac ſummo bono, veræ ſcilicet in Deo beatitati magis intenti eſſemus. Ipſi cum Patre & Filio ſit honor & gloria ſine fine, Amen.

FINIS.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 01006 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 1006

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 01006 Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
1,-115 4° 1006